



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini. M. D. XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

meritum in lecto suo. De quorum interitu,  
 te rescripsit ad Joannem Cochläum ex An-  
 glicis Clarissimus vir Thomas Morus, supre-  
 mus Regni Cancellarius. Postquam Geor-  
 gius in Angliam rediit, complures diuersis tem-  
 poribus epistolas abs te accepi. Postrema ea  
 fuit, quam de Zuinglio & Oecolampadio scri-  
 ptam misisti: Quorum nunciata mors lætitiã  
 mihi attulit. Quanquam enim dolendi causas  
 reliquere nobis heu nimium graues, propter  
 multa, quæ neque sine horrore eloqui possum,  
 & nemini sunt ignota: neque audire homines  
 pii sine profundo gemitu debent. Sublatos tam-  
 en è medio esse tam immanes fidei Christia-  
 næ hostes, tam accinctos ad Ecclesiæ excidium,  
 tam intentos vbique in omnem perimendam  
 pietatis occasionem, iure gaudere possumus.

*Acta & scripta Lutheri,  
 Anno Domini  
 M. D. XXXII.*

**E**rat, vt eiusmodi motus conspiratio-  
 nesque & discordias Sectarum in Ger-  
 mania, incruentis consiliis reprimeret  
 atque compesceret: indicebat Dietam (vt vo-  
 cant) Imperialem, Spiræ celebrandam. Verum  
 vbi intellexit maximum Turcarum apparatus  
 & exercitum appropinquare, ad inuadendam  
 Vngariam atque Germaniam, transtulit eam

Ee

*Thomas Mo-  
 rus, qui postea  
 propter veri-  
 tatem marty-  
 rium suscepit,  
 anno 1535.  
 Sicut & Episcopus  
 Rofensis.*

*Dietæ Impe-  
 rialis Rati-  
 sponæ cele-  
 bratæ.*

Dietam non Spiræ, sed Ratisponæ celebra-  
dam, vt esset ipse Cæsar propinquior ita hoi-  
Christiani nominis, eique citius resistere pos-  
sit. Conuocauit igitur omnes Principes ac Se-  
nus sacri Ro. Imperij, in supradictam ciuitatem  
Imperialem, Ratisponam, quam Danubijs  
terfuit in Bauaria. Inter Principes autem Ele-  
ctores personaliter comparuerunt, post Impera-  
ratorem Carolum, & Regem Romanorū, Va-  
gariæque & Bohemiæ Ferdinandum, Augustus  
Cardinalis & Archiepiscopus Moguntin<sup>9</sup> Lu-  
douicus Comes Palatin<sup>9</sup> Rheni, Dux Bavarie  
& Ioachim Marchio Brandenburgensis, Dux  
Stetinæ &c. Ex Episcopis, Saltzburgeris & Me-  
dentinus Cardinales, item Bambergensis, He-  
bipolensis, Spirensis, Augustensis, Patauen-  
Ratisponensis, Mindensis, Vienenfis. Ex alijs  
Principibus, Duces Bavarie Comitesque Pala-  
tini Rheni, Fridericus, Vuilhelmus, Ludouicus,  
Otto Henricus, & Philippus: Dux item Saxe-  
niæ Georgius, Dux Brunsvicensis Henricus,  
Langrauius Leuchtenbergensis Georgius. Co-  
mites præterea & Barones non pauci, Abbates  
item & alij Prælati. Multi autem per suos Ora-  
tores comparuerunt, quemadmodum & Ciuitates  
liberæ atq; Imperiales. At Lutherani Prin-  
cipes cum confœderatis suis seorsum conue-  
nerunt Sueinfordiæ in Franconia: Ad quos Cæ-  
saris consensu profecti sūt Duo Electores, Mo-  
guntinus & Palatinus Rheni, vt cum ipsis con-  
starent de maturando aduersus Turcas. jam

*Conuētus Lu-  
theranorum  
Sueinfordiæ.*

cum maximis copiis in Vngariam perue-  
 rant) auxilio, quod in Augustensi Dieta pro-  
 missum fuerat. Quantum verò apud eos pro-  
 fecerint, non est vulgo cognitum: Retulerunt  
 autem Cæsari Ratisponæ. Vbi & aliorum Re-  
 gum ac Dominorum Oratores erant, Cu-  
 riam sequentes Cæsaris. Inter quos erat Tho-  
 mas Cranmerus, Orator Regis Angliæ, qui  
 secum ex Anglia attulerat librum, in quo ac-  
 curatissime probabatur Regis Angliæ & di-  
 vorium & nouum Matrimonium. Quem cū  
 tradidisset videndum Ioanni Cochlæo, is bre-  
 uissime ad omnes Rhetoricas argutiarum am-  
 plificationes, illi respondit priuatim. Et quan-  
 quam Anglus ille acutus ac eruditus erat Theo-  
 logus & Sacerdos, ad scripta tamen Cochlæi  
 non respondit: Qui tum familiariter sæpe cum  
 illo colloquebatur. Erant præterea in eadem  
 Dieta R. D. Cardinalis Campegius, Lega-  
 tus de latere, & diuus Hieronymus Alean-  
 der, Archiepiscopus Brundusinus, Nuncius  
 Apostolicus. Ad quos delatus fuit liber qui-  
 dam hominis eruditi, qui Lutheranos cum Ca-  
 tholicis concordare in doctrina nitebatur. Ve-  
 rum dum abrogaret multa Catholicis, iam-  
 diu obseruata, repertus est in multis iudaiza-  
 re. Liber itaque eius, iussu & Cardinalis lega-  
 ti, & Aleandri Nūcij Apostolici, à quibusdam  
 Theologis Hispanis (quibus additus erat Co-  
 chlæus) examinatus, eorum iudicio reiectus  
 fuit, velut iudaizans: Quandoquidem & autor

*Tho. Cran-  
 merus. An-  
 glus.*

*Condemnatio  
 cuiusdam li-  
 bri iudaizans  
 tis.*

*Liber Serueti  
contra Trinitatem  
per  
sonarum.*

eius ex Iudaismo ad Christi religionem conuersus fuerat. At longè peiorem reperit ibi publice venalem librum Cochleus, cum hac inscriptione. De Trinitatis erroribus, libri V. I. Michaelis Serueti Hispani. Quem cum attulisset ad D. Io. Quintanam, Theologum eximium ac Casareæ Maiestatis A confessionibus, vni Hispanum: is agerrime tulit indignitatem eius rei, tum quod autor Hispanus esset (quem se facie se nosse dicebat) tum quod impiissimæque inauditæ in eo libro essent hæreses. Ita itaque curauit, pestilentissimum illum librum suppressi, ne amplius venderetur. Verum eodem tempore insurrexit aduersus Ecclesiam quidam Germanus ex terra Iuliacensi, Ioannes Campanus, qui Lutheri discipulus perhibitum fuerat Vuitenbergæ. Is eisdem ferentores de Trinitate asseueravit: Cui etiam Lutherani & Lutherus ipse restiterunt, vt non possit hæresis illa vllas acquirere vires. At Georgius Vuicelius Germanus, ex oppido Vuitenbergæ (quod Lantgrauio Hessorum parit) oriundus, qui X. annis misere Lutherizauerat, ex lectione veterum Theologorum sanctorumque patrum resipiscere tum cœpit, vt non omnia probaret amplius, quæ docebat Lutherus. Quod vbi percepit Lutherus cum suis, effecit, vt ille à Nymeco (quod oppidum tribus distat miliaribus à Vuitenbergæ) vi abduceretur captiuus Vuitenbergam, turrique inclusus aliquandiu detinebatur in carcere, haud secus atque marti-

*Ioannes Campanus.*

*Georgius Vuicelius ex Lutherismo ad Ecclesiam reuersus.*

aut hæreticus. Iussit itaque mox inquiri  
 Luther<sup>9</sup> ac discuti omnes Vuicelij libros char-  
 tæ & epistolas, si forte inuenire ibi posset  
 aliquid, in quo ille iuste accusaretur: Maxime  
 vero cupiebat reperire nonnihil indicij de Cã-  
 pano illo, qui mensẽ vnum Nymeci apud  
 Vuicelium fuerat. Cum verò excussis omnibus  
 angulis nihil prorsus accusatione dignum in-  
 uentiretur, dimissus est liber Vuicelius. Qui do-  
 mum reuersus, ac ægre ferens eam captiuitatis  
 ignominiam, accepit literas à patre suo è Vach,  
 quibus reuocabatur in patriam. Ne autem clã  
 aufugere videretur, petiit missionem à Principe  
 Electore Saxonie, qua concessa, rediit in pa-  
 triam. Verum Lutherus & sui metuentes do-  
 ctinæ suæ ab illo, cœperunt eum & clandestini-  
 nis & manifestis criminationibus insectari, cū  
 alibi, tum maxime Erfordia, vbi is olim Philo-  
 sophiæ operam dederat in publica Academia,  
 in qua iam profiteri bonas literas intendebat.  
 Ne igitur vllum ibi vel concionandi ad popu-  
 lum, vel docendi in scholis locum obtineret,  
 enixe curauerunt Lutherani, Iudocus Cocus,  
 qui se Iustum Ionam vocat, sacerdos vxoratus,  
 ac Duo Apostata Monachi, Langus & Aegi-  
 dius. Quibus ille cedens, rediit ad patrem. Cū  
 vero sibi tutum non esset, eo in loco contra Lu-  
 theranos vel agere vel scribere, aliunde sibi Pa-  
 tronum quæsiuit. Quem & optimum inuenit,  
 virum pium, religiosum atque potentem, Do-  
 minum Hoygerum, Generosum Comitem à  
 Ee iij

*Lutheri con-  
tra Vuiceliũ  
inquisitio.*

*Erfordia.*

*Patron<sup>9</sup> Vici-  
celij.*

Mansfelt, qui vel in medio Lutheranorum egre-  
 gie tuebatur eum Iſlebij. Vbi vir ille: cum sit  
 ingenioſus, acutus, diſertus, linguarumq; Gre-  
 cæ & Hebraicę inſigniter peritus, inuenis præ-  
 terea ætate ac laborum tolerantiffimus: Me-  
 ta in Lutheranam ſectam atque doctrinam ſer-  
 bit aditque opuscula, quibus Germanos aper-  
 nicioſiſſima ſecta illa abſterringere, in viam re-  
 care, ſaragit, atque id facit non paruo cum ſu-  
 ſpectu multorum. Multa quidem Lutherani-  
 ſma impugnat, ſed nullum vehementius co-  
 pioſiusue aut crebrius, quàm illud, quod tre-  
 ctis bonorum operum ſtudiis ac meritis, ſu-  
 lam fidem extollit. Aduerſus criminationes Lu-  
 theranorum, adidit quandam Apologiam Teu-  
 thonice, & Confutationem quandam Latine  
 aduerſus maledicum calumniatorem, Iohannem  
 Ionam, quem rectius Iudocum Koch ſeu Co-  
 cum vocat. In eundem ſcripſit poſtea Scythicum  
 librum Teuthonice, quem de Catholica Edo-  
 ſia inſcripſit. Ex quo pauca (eſt enim bene  
 prolixus) hic recitabo, quantum ad Trinitatem  
 pertinet hereticum, Io. Campanum ſeu Cam-  
 penſem. At ergo. Ideirco meritis, Coce, quod  
 Campanus ſectam ſuam apud nos Nymeci-  
 ſi fuerit. Teſtis eſt Deus, Campanum illi  
 mini vllum verbum de propoſito ſuo Nymeci-  
 ſi dixiſſe: ſed id vnum egit (propter quod aduocatus  
 rat) vt Orthodoxorum patrum libros perſcruta-  
 retur, neſcimus vero quam ob cauſam. Me-  
 cum ſane raro vel conuerſatus vel colloquutus  
 eſt.

*Opuscula  
 Vuicelij.*

*Verba eius in  
 Iuſtum Ionã,  
 Iudocum  
 Koch.*

est Neque ego ex omni eius sermone vnquam  
 considerare potui, quod Trinitatis fieri vel-  
 let. Id vero statim percepi, quod non esset am-  
 plius Lutheranus. Quapropter id quoq; men-  
 tiri, quod is apud nos occulte latuerit: Nihil  
 tibi factum est in occulto aut suspecto, neque  
 quicquam impie aut inhoneste. Id de quo te-  
 stor omnes Incolas illius oppidi. Sed esto, sit  
 Archiblasphemator Christi Campanus, Vbi  
 quæso, aut à quo didicit? Apud nos fuit septi-  
 manas Quatuor, apud vos annos Duos. Et  
 non nos, sed vos docuistis eum. At nec vos il-  
 lud eum docuistis. Esto ita: At quis reclusit ei  
 ianuam ad illum errorem tam abominabilem  
 atque horrendum? Ego an vos? Hic sane appa-  
 rebis, quisnam sit Campanicæ hæreseos reus,  
 Quandoquidē ille tam diu Vuitenbergæ per-  
 manere atq; nidificauit. In quo sane nido adhuc  
 incubat Struthio Camelus, vir ille, qui modi-  
 cum tenet de hoc verbo Homouision, atque pa-  
 lam scripsit, sibi hanc vocem, Trinitas, in Teu-  
 thonico non placere. An non potuit etiā Cā-  
 panus ex tali primum ouo prorepere? Hæc ibi  
 Vuicelius. Ceterū Hispanus ille, Michael Ser-  
 ueti, alias Reues ab Aragonia, vltra VII. libros  
 supradictos, Duos eodē anno Dialogos ædi-  
 dit. In quib; argute & acute ex scripturarū diuer-  
 sis locis, nouā de Christi carne Theologiā do-  
 cet: Nēpe, quod Christ; tā iuxta carnē, quā iux-  
 ta Spiritū habeat substāriā æternam, & quod in  
 eadem substāntia, in qua tam iuxta carnem,  
 Ee iij

*Error Cam-  
 pani de Tri-  
 nitate ex Lu-  
 thero.*

*Luth in lib.  
 contra Iaco-  
 bum Lato-  
 rum.*

*Alius error  
 Serueti.*

quàm iuxta spiritum nunc est, fuerit antea in  
 cœlo creator. In præfatione vero ad lectorem  
 sic ait. Quæ nuper contra receptam de Trini-  
 tate sententiam, septem libris scripta, omnino  
 nunc, candide lector, retracto: Non quia falsi  
 sint, sed quia imperfecta, & tanquam à parvulis  
 paruulis scripta. Precor tamen, ut ex illis ea te-  
 neas, quæ ad dicendorum intelligentiam te po-  
 terunt iuuare. Hæc ille, homo nimirum acutus  
 ac vehementis ingenij, qui Græcæ quoque ac  
 Hebraicæ linguæ peritus videbatur. Sed hæc  
 est communis omnium fere nouorum Theo-  
 logorum morbus, ut linguarum peritia re-  
 di, ac literali scripturæ sensui, quem non ex pro-  
 batis doctoribus, sed ex capite suo sibi effingit,  
 innitentes, contemptis & sanis patrum expo-  
 sitionibus, & solidis scholasticorum Theologo-  
 rum informationibus, suæ confidunt proci-  
 tatiæ: sed pro mobilitate ingenij instabiles, criti-  
 cili momento per nouam adinventionem, pro-  
 rem sententiam suam, quam primo inueni-  
 nis calore laudauerant, mutant, variant, augent  
 aut minuunt: Iuxta illud Iacobi Apostoli. Vir  
 duplex animo, inconstans est in omnibus viis  
 suis. Sic & Lutherus nimis vehemens ple-  
 runque in contentionibus, multa, torrentis in-  
 modum, currenti committit calamo, quæ si mi-  
 tutius considerasset, non tot tamque horren-  
 dis aliorum erroribus ansam & originem pro-  
 buisset. Quæ enim supra ex Vuicelio recitata  
 sunt, ea & Cochleus Philippo Melanctoni  
 obiecit.

*Morbus no-  
 uorum Theo-  
 logorum.*

*Lutherus mul-  
 tos hæreticos  
 errare facit.*

obicit. Hæc enim sunt verba Lutheri in D. Jacobum Latomum olim ædita. Nec est (inquit) quod mihi Homouision illud obiectes, aduersus Arrianos receptum: Non fuit receptum à multis, iisdem præclarissimis. Quod & Hieronymus optauit aboleri, Adeoque non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur nescire, quid veneni lateat in syllabis & literis. Quod si odit anima mea vocem Homouision, & nolim ea vti, non ero hæreticus, Quis enim me cogit vti? &c. At Cochleus quodam in libro acriter ab hac calumnia Hieronymum defendit, Lutherumque de falso conuicit. Non enim de Homouision, sed de Hypostasi dubitabat Hieronymus in sua ad Damasum Papam Epistola, in qua eum per Homouision Trinitatem orabat, vt responderet. Qua autem ratione Lutherus oppugnat Homouision, eadem oppugnari posset & hæc vox, Trinitas. Quia & ipsa in sacris literis non est expressa: Quemadmodum nec ista, Tres personæ. Stultissime igitur pariter & impiissime quidam ex iis Poeticis Theologis, dixit Tres personas Tres Chimeras, Qui Lutheri de Homouision audaciam imitatus est. Lutherus enim Arrianos in hoc iustificare ausus fuit, quod non inuenit Homouision (quam vocat prophanam vocem) recipere. Interea, dum Cæsar Ratispona simul cum Rege fratre, aliisque Principibus ac Statibus Imperij, de rerum summa, & de salute Germaniæ consultat: Turcarum Tyran

*Calumnia Lutheri in S. Hierony.*

*Grandis exercitus Cæsaris contra Turcas.*

nus maximis cum copiis per Vngariam versus Austriam, ut Viennam rursus oblideret, contendebat. At Cæsar, missis illuc valido præsidio, festinatum & iam pridem Augustæ promissum, à Principibus & Statibus Imperij auxiliū exigens, è Burgundia quoque & ex Inferiori Germania egregium accersuit Equitatum, ac curreunt itaque plurimi vndique è Germania milites versus Viennam: Quorū omnium Dux & Imperator per sese voluit esse Cæsar, qui Turcarum Tyranno iam denunciauerat suū aduentum, ad inuendum cum eo prælium. At Turca, qui totis viribus cum vniuersis copiis suis paruum circa fines Austriæ oppidum, nomine Gynsa, oppugnabat multis diebus, expugnare non posset, miratus præsidij virtutem, euocauit in colloquium oppidi Præfectū virum strenuissimum ac regi Ferdinando fidelissimum, qui vulneribus, laboribusque & vigiliis confectus (nam die noctuque oppugnatus fuerat oppidum) animi virtute Turcis admittenti spectaculoque fuit. Vbi vero accepit Turca, aduenisse iam ipsam Cæsarem (qui Ratisbona serius discessit propter afflictum casu equitatus, quod fomentis Thermarum curabatur) Viennā vsque; (à qua l. X. M. l. ar. b. d. stabat oppidū Gynsa) immemor add. et prælii, sol. ta oblatione, turpi fuga retro abiit, cū esset alioquin bellicæ gloriæ avidissim⁹. Ne tamen impune aufereret, Cæsar XVI. M. l. Turcarū, qui populando morā fecerant, assecutus, internecioni eos dedit.

*Gynsa contra Turcas fortiter defensā.*

*Fuga Turcarum.*

addit. Dimisso deinde exercitu, quem sane pul-  
 terrimū validissimūq; habebat, adeo, vt mul-  
 tis seculis Germania maiorē atq; instructiorem  
 non viderit: relicta Germania, in Italiā rediit.

*Liber Pome-  
 rani contra  
 fures calicis.*

Eodem anno scripsit Teuthonice aduersus  
 Catholicos Ioannes Bugēhagius Pomeranus,  
 Apostata, quē pastorē & Episcopū suū vocant  
 Vuittenbergenses, librum maledictis menda-  
 ciisq; & odiosis calūniis plenū, Cui titulū fecit.  
 Aduersus fures Calicis. Reprobatur in eo acer-  
 bilissime & communicationem Laicorum sub  
 vna specie, & sacrificium Missæ, quod pro viuis  
 atque defunctis offertur. Vt autem Laicos &  
 in fauorem sui & in odium Cleri totius conci-  
 ter, excusat Laicos, tanquam per ignorantiam  
 fecerint, & iniuriam à furibus Calicis (hoc est  
 ab Episcopis & Clericis) passi fuerint. Episco-  
 pos vero mox grauitur accusat, dicens. Episco-  
 pi vero, qui Christi mandatū neq; videre neque  
 audire nolūt, neq; curant, quod Apostolus tran-  
 que speciem docuerunt &c. Hæc Apostata il-  
 le pestilentissimus, qui velut Emissari⁹ ac equus

*Accusat o-  
 diose Episco-  
 pos.*

hinniens, sæpe abiit ad tempus è Vuittenberga,  
 ad magnas & opulentas vrbes Maritimas (quæ  
 Stagnales vulgo dicuntur) nunc Lubecum,  
 nunc Hamburgum, nunc Flensburgum, nunc  
 alio, ad disseminandum ibi non sine seditiosis  
 tumultibus Lutherismum, donec ex variis ciuū  
 donationibus locupletatus, secure nūc Vuitten-  
 bergæ opibus illis fruitur. Cæterum graui-  
 ter ac erudite respondit Teuthonice libro eius

*Pestilens &  
 auarus here-  
 ticus Pome-  
 ranus.*

*D. Michael  
Vehus.*

*Verba Vehi  
contra Pome-  
ranos.*

*Quanti deest  
a probatione  
sui propositi  
Pomeranus.*

eximius quidam Theologus, Ordinis Prædicatorum, Doctor Michael Vehus, quem ob probitatem & eruditionem in Præpositum Hallensis Ecclesiæ in Saxonia assumpsit, sibi que in Consiliarium ascivit R. & illust. iss. Dominus, Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus ac Magdeburgensis. Quoniam vero prolixus est liber ille, hic ex eius Principio tantum parula, velut gustum quendam propinantes, retulimus. Vulgatum est (inquit) proverbium. Quamalam habet causam, is eo magis maledictus proteruit: Et cui deficit veritas, is nititur mendaciis. Iuxta hoc proverbium agit autor ille in toto hoc libro suo, qui in principio, medioque & fine, eandem ubique cantat cantilenam: Hoc est, undique refertus est proteruis criminatibus, contumeliis, maledictis & mendaciis. Quæ si à veritate, quæ reliqua est, separarentur, admodum exiguus foret libellus. Qui si calumniandi gratia scriptus est, satis artificiosum habet initium: si vero propter veritatem declarandam atque inquirendam scriptus est, autor merito rem aliter aggressus esset. Etenim in omni causa optimum fundamentum est veritas, et hanc omisit ille, & librum à mendaciis incipit. Calumnias igitur eius domum remittimus, donec sua probet mendacia. Quod si nesciat, quid probare debeat, nos haud grauatim id eum docebimus. Primum sane probare debet, quod Calix ex mandato Christi sit omnibus Christianis ad salutem necessarius. Hoc ipse

ipſe cum ſuis haſtenus non fecit, nec vnquam  
facere poterit. Hæc enim verba Chriſti. Bibite  
et bibite omnes: Non omnes tangunt Chriſtianos.  
Quemadmodum nos & alij ex Euangelio, tum  
Matthæi tum Luca, efficaciter probauimus. At  
iſto, ſunt hæc verba Chriſti ad omnes dicta, pro  
bare tamen debet, ea eſſe neceſſarium præce-  
ptum. Quod ſi hic ſuos conſuluerit, inueniet  
præcipuos ſectæ ſi id negare, atque dicere,  
quod Chriſtus neque alteram, neque vtranque  
ſpeciem præceperit, eò quod dixerit. Quotienſ-  
cunque feceritis. Deinde, cōceſſo & iſto, quod  
ea verba ſint neceſſarium præceptum; probare  
debet, quod ad ſingulos in ſpecie dicta ſint,  
& non ad omnes in genere: ſicut dictum eſt il-  
lud. Creſcite & multiplicamini. Rurſus, hoc  
quoque conceſſo, quod ad ſingulos in ſpecie  
dicta ſint, probare vltèrius debet, omnia hu-  
ius mandati verba ad ſingulos pertinere: Sunt  
enim hic multa, conſecrare, offerre, edere, bibe-  
re, in memoriam eius facere. Atqui nunquàm  
probabit hoc, niſi velit vnicuique ruſticorum  
conſecrandi munus imponere. Denique con-  
ceſſo & iſto, adhuc tamen vltèrius probare de-  
bet, quod Chriſt⁹ Deus & Dominus noſter,  
in caſu neceſſitatis & periculi, non reliquerit  
nobis mandatum iſtud liberum, quodque Ec-  
cleſia in tali caſu non habeat poteſtatem facien-  
di ordinationem, qua tale periculum euitetur.  
At ne hoc quidem probare poterit: Nos autem  
contrariam ex ſacra ſcriptura poſtea probabi-

*Marc. 14.**Luc. 22.*

*Obitus Ele-  
floris Saxo-  
nie, Dna con-  
ciones Luth.  
1. Theff. 4.  
1. Cor. 15.*

*Postilla Co-  
ch'ei contra  
duas illas con-  
ciones.*

mus. Hæc in principio libri sui Vehus contra Pomeranum. Dum vero Cæsar contra Turcas præliari molitur, moritur non longe à Vuitenbergæ in loco venationis Inclytus Dux Saxonie Ioannes, Princeps Elector. In cuius funere duas ad populum conciones habuit, ac scriptas in lucem ædidi Teuthonice Lutherus, in quarum priore Thema ex Pauli prima ad Theffal. In posteriore ex prima ad Corinthios Epistola mutuauit ac declarauit. Caterum in utranque scripsit breuem Postillam (vt vocant) Teuthonice Cochleus ad Illustrem Principem, Dominum Ioannem ab Anhalt, qui tum non leui in periculo versabatur, dum Lutherus per Nicolaum Hausman, quem pro concionatore Dessauiam ad illum mittebat, cum à Catholicis fide subuertere, ac in sectam suam, velut in usam, allicere quæreret. Ostendit ergo breuitate & quàm vagus ac phanaticus in priore, & quàm lubricus atque inconstans fuerit in posteriore illa concione Lutherus: Ita, vt nemo secure ei vel adherere, vel credere quicquam possit. Verbi gratia. Lutherus ait, Quid contumescimus de morte aliorum, vel etiam de nostra? Nam homo tantum moritur, neque tamen totus homo, sed altera pars tantum, nempe corpus. In morte autem Christi est ipsemet filius Dei, & moritur Dominus omnium creaturarum. Respondet Cochleus, Quid hic vult agere Lutherus? Nunquid in Christo plus mortuum fuit, quàm in nobis hominibus moritur? In nobis moritur tantum corpus,

us, ait Lutherus: fateor, Quid autē in Christo  
 amplius mortuum fuit, quā corpus? Nūquid  
 & anima eius, immortalis & impeccabilis, mor-  
 tua fuit? Aut mortua est eius impassibilis & om-  
 nipotens diuinitas? Quemadmodū igitur non  
 moritur totus homo: ita nec totus Christus est  
 mortuus. Rursum ait Lutherus. Deus cogi-  
 tat & te & omnes alios, quicūq; baptizati sunt  
 & in Christo dormiunt, ut, ducere secū: quia inuo-  
 luit eos in morte Christi, & in eius resurrectione  
 comprehendit, non dimissur<sup>9</sup> eos sub terra.  
 Respondit Cochleus. Dico adhuc, vt supra.  
 Quoniam Lutherus non potest scire cogitatio-  
 nes Dei, neq; consiliarius eius vnquam fuit, si-  
 cut dicit Esaias. Hoc quidē verū est, quod De<sup>9</sup>  
 non dimittet sub terra neq; Christianos, neque  
 Paganos, Turcas aut Iudæos. Oportet enim  
 omnes procedere, ac stare ante Tribunal Chri-  
 sti, in nouissimo die, vt recipiat vnusquisq; iux-  
 ta opera sua. Quod autem Christus secum da-  
 cturus sit omnes baptizatos, hoc nusquam scri-  
 ptum habetur. Multi enim ab ea innocentia  
 excidit, & non sunt memores vnde exciderint:  
 Dūque non retinent quod habent, auferetur  
 ab eis & illud quod habent, ac dabitur alteri.  
 Christus quidē mortuus est pro toto mūdo. Cū  
 autem peccent multi, seq; mortis Christi indi-  
 gnos faciant: non inuoluntur in morte Chri-  
 sti, vt illat somniatque Lutherus, sed non ha-  
 bentes vestem nuptialem, eicientur in tene-  
 bras exteriores. Christus quidē nos omnes per

*Esai. 40.**2. Corinth. 5.**Matth. 16.**Apoc. 2.**Luc. 19.**Matth. 22.*

*Roma. 6.*

Baptismum in morte sua inuoluit. Qui verò per subsequenta peccata se iterum euoluunt, & non agunt pœnitentiam, ij perpetuo foris permanebunt, ac durius punientur quàm alij.

*Hebræo 6.**Isa. m. 61.**Math. 25.**Quomodo**Electoꝝ Sax.**mortuus fuit**August. e.*

qui eam gratiam non degustarunt, vt ait Paulus. Non oportet sic ex proprio coniectare capite: Deus enim iudicat vnumquenque iuxta opera eius. Amplius ait Lutherus. Non enim scitis, quomodo Caput nostrum, Princeps Electoꝝ, secundum Christum, Augustæ antequam in ætate annuum mortuus ac veram mortem passus esset, non pro seipso tantum, sed pro nobis omnibus. Respondet Cochleus. Hæc verba veritas lenius Apostata sæpe repetit multum odio aduersus Cæsarem omnesque alios Principes Catholicos: Neque tamen scit stolidus blatorator, quoniam tendant ea verba. Elector enim Augustæ vtique in corpore mortuus non fuit. At mors animæ longe grauior est, quàm corporis, sicut & ipse fatetur Lutherus. Si ergo in anima ibi mortuus est, quid laudis aut gloriæ inde accepit? Nonne per talem mortem excidit de Deo? Non enim est Deus mortuorum, sed viuuentium: Eorum inquam, qui in anima viuunt, etiam si corpore mortui sint, vt Deus Abraham, Isaac & Iacob. Quod si Princeps Electoꝝ, veram ibi mortem passus est, vt ait Lutherus, non in corpore, sed in anima: non recte comparatur eum Christo, qui vtique in corpore, non in anima mortuus fuit. Et multo ineptius ait, quod Electoꝝ ille, non pro seipso tantum, sed pro nobis

*Math. 22.**Exod. 3.*

omnibus mortem Augustæ passus sit, quasi  
 Christus. At Paulus contra ait. Vnus est  
 Deus, vnus & mediator Dei, & hominū homo  
 Christus Iesus, qui dedit redemptionem seme-  
 ipsum pro omnibus. Delirat vltterius Lutherus,  
 dum ait. Ibi oportuit eum omnes malas offas  
 atque aconita siue cicutas exedere, quas propi-  
 nauit ei Diabolus. Illud vero est vera & horréda  
 mors, qua Diabolus aliquem interimit. Respon-  
 det Cochleus. Ecce quam terribiliter excæcat  
 Deus superbū Apostatam, vt etiam contra pro-  
 prium patronum & Principem suum, factus sit  
 palam proditor & animici da. Quem ait omnes  
 malas offas atque aconita exedisse &c. O quam  
 validum & efficax est illud verbum Apostolici  
 de homine hæretico: Proprio iudicio condem-  
 natus. Quales ibi dicit offas & cicutas? Nūquid  
 corporales? At non est ibi corporaliter mortu-  
 us illic Princeps. Dicit igitur spirituales, quæ  
 sunt, falsæ doctrinæ, hæreses, schismata, superbia  
 inobedientia &c. per quas sane pestes Diabo-  
 lus miseris interimit animas. Vtinam vero dissi-  
 mulasset ibi quoque, vt antea, ille Princeps, &  
 non subscripsisset ibi palam Confessione Luth-  
 erana: quæ vtique malis offis atque aconitis ple-  
 na est, nec finaliter in illa, contra vtranque po-  
 testatem ac Maioritatem suam, perseverasset.  
 Rursum ait Lutherus. Ibi confessus fuit dilectus  
 noster Princeps Elector Christi mortem, ac re-  
 surrectionem publice coram toto mundo, at  
 que in ea perstitit, & pro ea in periculum ex-

F f

*Luth. proditor & animici da sui Principis.*

*Tit. 3.*

*Nuge. Lutheri de Confessione Augustæ facta.*

posuit provincias & homines, immo & proprium corpus atque vitam. Ea sane confessio transcendit atque absorbet multitudinem peccatorum, sicut mare magnum scintillam ignis. Respondet Cochlaus. O inanes, fabulas potius doque pisces. quis obsecro impugnavit Augustæ mortem & resurrectionem Christi? Quis Principem Electorem ab ea confitenda deterrere aut depellere voluit? Inspiciatur, quæso, tum Cæsaris, aliorumque Principum ac Statuum Imperii responsio, super Tertium Lutheranorum confessionis articulum: Tum Tractatus per delectum inter septem & septem ibi habitus. Clarissime profecto comperietur, in nullo unquam verbo fuisse ibi dissensionem de morte & resurrectione Christi. Quomodo potest plebs vlla ita stolidæ atque insana esse, ut tam aperta & incredibilia nugonis mendacia, vel audire vel credere queat: Confitemur sane quotidie in Symbolo Apostolorum, Christum mortuum esse atque resurrexisse: Et Lutherus per hoc vult Patronum suum sic extollere, ut Maryrem ex eo faciat, quod coram Christiano Cæsare, aliisque Christianis Principibus, Christi mortem ac resurrectionem confessus est, perinde ac si stetisset coram Nerone, Decio aut Diocletiano. Hæc obiter ex Postilla in priorem Lutheri funebrem concionem recitata sint. In posteriore concione acriter arguitur inconstantia Lutheri, circa venerationem sanctorum: Nam quædo primum scribere ac in lucem ædere libros cœpit, acriter innectus

*Constantia  
Luth. circa  
Inuocationem  
sanctorum*

fuit in

fuit in Thabritas & Vualdenfes Bohemicos,  
 propter cultum & venerationem sanctorum. Et  
 in libro de Decē præceptis sic ait. Verum  
 ne Pyghardi, infœlices heretici, suas partes à me  
 adiutas confidant, qui præ nimia auaritate nobis  
 Teuthonicis (superbissimo fastidio indigna-  
 ti) imponunt, quod sanctos Dei colamus, & I-  
 dola faciamus, & ideo contra nos acerrum ver-  
 sum scripturæ congregant, in quibus prohibe-  
 tur, ne adoret quis nisi vnum Deum. Et vt nobis  
 apud suos iustissimam inuidiam conflare vide-  
 antur, insidiosissime omittunt, quod scribitur  
 Rex David & Salomon & multi alii adorati: Si-  
 mul impiii peruersores scripturæ, & subdoli ca-  
 lumniatores pietatis nostræ. Ita enim iustici illi  
 nos tandem docent, quod solus Deus sit adoran-  
 dus, & glorientur ac si nos id ipsum negaueri-  
 mus vquam. Item, in eodem libro ait. Omnes  
 sancti omnia possunt, & tantum per eos tibi à  
 Deo datur, quantum credis te accepturū. Quid  
 enim aliud sunt sancti, nisi velut guttula roris  
 suæ guttæ noctium, in cincinnis & capite spon-  
 si? Sic & in sermone de Præparatione ad  
 mortem docebat ægrotum, vt inuocaret omnes  
 sanctos Angelos, præcipue angelum suum, Dei  
 genitricem: omnes Apostolos aliisque sanctos  
 eos præsertim, ad quos Deus ei specialem indi-  
 derit deuotionem. Verum posteaquam su-  
 perbia atque inobedientia eum in farorem con-  
 citauerunt, longe aliter de sanctis & scriptis  
 & cõcionat<sup>o</sup> est, vt vix vll<sup>o</sup> Suermerorū & Phana

Ff ij

Can. 5.

 Impia dicta  
 Luth. contra  
 sanctos.

*Luth. In ser.  
de nativ. Ma-  
ria: De sancta  
cruce etc.*

*Iconomachi.*

*Abbas  
Luth. In ser.  
de nativ. Ma-  
ria: De sancta  
cruce etc.*

*Rursus beni-  
gna de sanctis  
in celo opinio.*

ticorum esset ei par. Tunc enim Dei genitrix  
Maria nihilo erat vel melior vel maior Lutheri  
Tunc vicinus eius poterat tam bene iuvare eum  
quam illa. Tunc oratio sua tam bona erat, quam illius  
Tunc et tabulis puerorum ei ei oportebat Ave Ma-  
ria Tunc impia erant cantica, Salve regina, & Be-  
gna caeli. Item sancti Apostoli, Petrus & Paulus, an-  
h lapsum poterant, quam Lutherus. Et qui me-  
dico dabat florenum unum, melius factus ac-  
plus merebatur, quam si Beato Petro auream ac-  
plum edificaret. Item sancti in terra adhaer-  
vientes erant ut gemmae: Mortui vero  
ut eos appellabat, quos nos in caelis cum  
Deo vivere credimus, ut ligna erant: In memo-  
ra erant Idola, & quicumque eos veneraba-  
tur. Hinc insurrexerunt seditiosi prophetae,  
qui omnes sanctorum Imagines atque etiam  
ipsum salvatoris, e templis eiecerunt tam cumu-  
tuose quam impie: Ita, ut is melior magisque pi-  
us habebatur, qui pluribus aut maioribus concio-  
melius Imagines afficere nosset: neque mitiores  
erant erga ossa & quaslibet reliquias atque tra-  
nias Divorum, & in calices Monstrantiaque  
deauratas, donec furentes tandem rustici super-  
venirent, qui templa quoque ac Monasteria de-  
vastarunt, tanta cum insania atque impietate, ut  
Lutherus ipse & gladio temporali & aeternae da-  
nationi eos adiudicaverit. In ista vero concione  
funebri rursus commendare sanctos cepit, in  
gratiam nimirum sui patroni, quem & Marty-  
rem & factum Dormitorem facere parabat. Id-  
circo

de sanctis persuadere cepit, quàm digna  
preciosa sit in conspectu Dei mors sanctorum  
quanto plus aestimet sanctos defunctos, quàm  
adhuc in carne viuentes: quanto minus curet  
sanctos in terra, quos infirmos ac miseròs relin-  
quat, perinde ac si non videat eos: quàm eos,  
qui morte ablati è conspectu hominum, ac sub-  
terra iscentes, tunc primum preciosi coram  
Deo fieri incipiant. Hæc omnia eo refert, vt ple-  
bi persuadeat, Principem Electorem, quem  
Caput sum vocat, à conspectu mortalium abla-  
tum, preciosum esse in conspectu Dei, & in re-  
quie receptum, vbi tutus sit ab omnibus Diabols  
& inimicis, eiusque memoria sine perditione &  
obliuione in æternum permaneat. Hæc idcirco  
retrulit Cochlaus principi Anhaltino, vt osteu-  
deret ei, quàm ventosa & instabilis sit doctrina  
Lutheri, quæ ad omnem uentum, velut arundo  
vertitur, ac mutatur. A qua cauere nos iussit, &  
Christus in Euangelio, & Paulus in Epistola ad  
Ephesios.

*Acta & scripta Lutheri,*

*Anno Domini*

*M. D. XXXIII.*

**I**nterea noua oritur Lipsiæ ( quæ vrbis  
& celebri Academia & insigni Empo-  
rio clara, Duci Saxonæ Gergio, per o-  
mnia Catholico Principi paret ) iurgandi occa-  
sio: Dum multi è plebe diebus Dominicis ex-  
ff ij

*Noua conten-  
tio inter Lut.  
& Lipsenses  
ac Ducem Ge-  
orgium.*